



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

41. An quando quis confessus est peccatum dubium, si postea certum comperit esse reservatum, teneatur illud confiteri cum Confessario habente potestatem circa reservata? Et supponitur in reservatione ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

iste ergo manet penitens absolutus ab excommunicatione. Porro validam fuisse ab initio abolutionem durante dubio negari non potest, quia alioquin ille sic absolutus non esset capax suffragiorum, aut beneficiorum; imò nec licite Sacramentorum, nisi per accidens propter ignorantiam, quæ omnia absurda sunt. Denique si semel ablata est censura, eo ipso cessavit reservatio peccati, quod reservatum erat ratione censura; nec potest redire reservatio non redeunte ipsa censura.

5. Hinc constat responsio ad rationem dubitandi supra positam: dicimus enim Sacerdotem inferiorem absolvere quidem ab excommunicatione, quam Hæreticus v. g. incurerat, & quæ reservata erat secundum se; sed cessavit reservatio propter dubium adueniens, in quo dubio suspenditur reservatio; ita tamen, ut si durante illo dubio non absoluator penitens, postea cessante dubio redeat reservatio, & iam non possit absolui ab inferiore. Nam reservatio non est sicut excommunicatio, quæ non redit sine nova culpa, sed est ablatio potestatis, quæ potestas dari potest pro aliquo tempore vel circumstantia, & auferri potest, ut fit tempore Iubilæi, quo cessat reservatio, & transacto illo tempore redit pro iis, qui noluerunt lucrari Iubilæum. Sic enim auferitur quamdiu durat dubium, atque idè tunc censura & peccatum possunt auferri ab inferiore, cessante autem dubio redit reservatio, si non fuit data absolutio tempore præcedenti. Et hæc omnia docet Lugo *loc. cit.* quæ secundum ipsius mentem dicta esse volo.

## RESOL. XLI.

*An quando quis confessus est peccatum dubium, si postea certo comperit esse reservatum, teneatur illud confiteri cum Confessario habente potestatem circa reservata?*

*Et supponitur in reservatione non includi peccata dubia.*

*Et an saltem teneatur confiteri supra dictum tale peccatum tanquam certum apud quemcumque ordinarium Confessarium?* Ex part. 8. tr. 7. & Misc. Ref. 7. 2.

Sup. hoc quod hic supponitur in Ref. seq. & in aliis eius primæ not. Sup. hoc lege doctrinam §. 1. annot. seq.

Contrarium lege ex Lugo in Ref. præterita §. Ad secundum, & in aliis not. primæ præcitat. §.

§. 1. **S**uppono in reservatione non includi peccata dubia, ut, me citato, rectè observat Aversa *de sacram. Pœnit. quest. 17. sect. 2.* Imò ego puto, quòd si post factam confessionem, & acceptam abolutionem de tali peccato dubio certior fiat penitens de suo peccato, non teneri de eo amplius confiteri apud superiorem, vel alium ministrum habentem facultatem super casus reservatos; non quia non teneatur iterum confiteri tale peccatum tanquam certum, nam teneatur illud confiteri, sed quia poterit apud quemcumque ordinarium Confessarium de illo confiteri, & absolui. Et ita hanc sententiam tenet Aversa *vbi supra*, & ante illum Cardinalis Lugo *de sacram. Pœnit. dispnt. 20. sect. 2. num. 20.*

## RESOL. XLII.

*An dubitans, utrum casus sit reservatus, possit illum Confessarius absolvere?*

*Et an possit reservari peccatum in dubio, an sit mortiferum in materia aliqua determinata?* Ex part. 4. tr. 3. Ref. 4.

Sup. hoc supra in Resol. 39. §. Nota etiam cursum in principio,

§. 1. **N**egatiuè respondet Armilla; Freitas, & Corduba, quos citat Sanchez *vbi infra*, quia hæc pars tutior est, & est solius habentis potestatem absolventi à reservatis, iudicare an casus reservatus sit.

2. At ego contrariam sententiam teneo cum S2 & in *verb. casus reservari, num. 5.* Ochagavia *de sacram. Pœnit. tract. 2. q. 1. 3. num. 8.* Hurtado *de sacram. tom. 1. diff. 1. 1. de pœnit. dub. 6.* Homobono *in consult. cas. conscient. vol. 2. part. 5. respons. 87.* Filiucio *tom. 2. tract. 2. 1. cap. 4. n. 172.* & Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 5. num. 15.* & alii quos citat, & sequitur nouissimè Laurentius Portel *in dubijs regularium, verb. casus reservati num. 7.* vbi sic ait: Si fit in dubio quòd casus sit reservatus, præsumitur non reservatus, & potest absolui tanquam non reservatus. Ita ille; & ratio est, quia reservatio est odiosa, per consequens strictè interpretanda.

3. Verùm hanc sententiam Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 74.* limitat, nisi esset præsumptio fori externi pro illius delicti admitti veritate, quia stante hac præsumptione, est pro certitudine delicti possessio, & illi præsumptio est in vtroque foro standum, cum contraria veritas non constat, v. g. hæresis externa reservatur, quando etiam mente ita sentitur, dubius autem eam profertens est, an ita mente sentierit, vel an mente ita sentienti protulerit exterius animo eius asserendæ, & sic fit verè externa, ac proinde reservata, an solius ioci animo censetur in hoc dubio reservata, quia cum verba sint naturaliter signa intentionis, & nullus præsumat dicere quod in corde non habet, nec aliter quam in eo habet, præsumptio est ac possessio in hoc dubio ut hæresis illa processerit exterius ex vero consensu interiori in illam. Sic Sanchez.

4. Non reticeam tamen nouissimè aduersus illum insurgere Thomam Merollam *in disp. Theol. tom. 2. disp. 3. cap. 1. dub. 2. coroll. 2. 3. num. 370.* vbi impugnat supradictam Sanchez limitationem; existimat enim casum non censeri reservatum, nisi certò constet de reservatione, nec satis esse quòd præsumatur reservatus, quia cum reservatio sit odiosa, & idè strictè interpretanda quando Prælati reservat sibi, v. g. hæresim, debet intelligi de peccato hæresis certo, & non tantum præsumpto; & confirmatur hoc à simili, nam quamvis quando quis est certus, se emisisse votum castitatis, sed dubitat an habuerit animum se obligandi, teneatur castitatem seruare, quia possessio, ac præsumptio stat pro illo voto castitatis; nihilominus tale votum non censetur Pontifici reservatum, ut concedit ipse Sanchez *lib. 4. cap. 40. n. 26.* & cap. 44. num. 3. Et hoc non alia ratione nisi quia, cum reservatio sit odiosa, restringenda est ad casus certos; ergo eadem ratione dicendum est in casu nostro: hæc omnia Merolla *loc. cit.* sed sententiam Sanchez nouissimè tenet Alphons. de Leone *de potest. confess. part. 1. recollect. 15. n. 25.* verùm utramque sententiam ego puto probabilem esse.

5. Notandum est etiam hic obiter, posse reservari peccatum in dubio, an sit mortiferum in materia aliqua determinata, quod fuse probat nouissimè Turrianus *in selectis dispnt. part. 1. disp. 38. dub. unico.*

## RESOL. XLIII.

*An casus dubius, si comineatur in Bulla Cene, possit absolui à quocumque Sacerdote ab Ordinario approbato?*

*Ex quo deducitur, quod casus dubius non censetur reservatus?* Ex part. 10. tract. 14. & Misc. 4. Ref. 10. aliàs 8.

§. 1. **P**robabiliter affirmatiuè respondet Pater Pelizzarius *in Mon. Regul. tom. 1. tractatu 6. ca. 1. sect. 2. sect. 1. n. 16.* vbi sic asserit: Quares, an penæ late in Decreto Clementis contra absolventes à casibus